

# CLASSICS PART IA, LATIN LANGUAGE

## LENT TERM, WEEK 5

### 1. Translate:

*Apollo rouses Cupid to anger and, as punishment, is forced to experience unreciprocated love for Daphne.*

primus amor Phoebi Daphne Peneia, quem non  
fors ignara dedit, sed saeva Cupidinis ira,  
Delius hunc nuper, victa serpente superbus,  
viderat adducto flectentem cornua nervo  
'quid' que 'tibi, lascive puer, cum fortibus armis?'dixerat: 'ista decent umeros gestamina nostros,  
qui dare certa ferae, dare vulnera possumus hosti,  
qui modo pestifero tot iugera ventre prementem  
stravimus innumeris tumidum Pythona sagittis.  
tu face nescio quos esto contentus amores  
inritare tua, nec laudes adsere nostras!'  
filius huic Veneris 'figat tuus omnia, Phoebe,  
te meus arcus' ait; 'quantoque animalia cedunt  
cuncta deo, tanto minor est tua gloria nostra.'dixit et eliso percussis aere pennis  
inpiger umbrosa Parnasi constitit arce  
eque sagittifera prompsit duo tela pharetra  
divisorum operum: fugat hoc, facit illud amorem;  
quod facit, auratum est et cuspide fulget acuta,  
quod fugat, obtusum est et habet sub harundine plumbum.  
hoc deus in nymptha Peneide fixit, at illo  
laesit Apollineas traiecta per ossa medullas;  
protinus alter amat, fugit altera nomen amantis  
silvarum latebris captivarumque ferarum  
exuviis gaudens innuptaeque aemula Phoebes.

(Ovid)

## **2. Prepare:**

*Quintilian explains why boys should be taught Greek.*

a sermone Graeco puerum incipere malo, quia Latinum, qui pluribus in usu est, vel nobis nolentibus perbibet, simul quia disciplinis quoque Graecis prius instituendus est, unde et nostrae fluxerunt. non tamen hoc adeo superstitiose fieri velim ut diu tantum Graece loquatur aut discat, sicut plerisque moris est. hoc enim accidunt et oris plurima vitia in peregrinum sonum corrupti et sermonis, cui cum Graecae figurae adsidua consuetudine haeserunt, in diversa quoque loquendi ratione pertinacissime durant. non longe itaque Latina subsequi debent et cito pariter ire. ita fiet ut, cum aequali cura linguam utramque tueri coeperimus, neutra alteri officiat.

**(Quintilian)**